


Lorenz Bodock Henricus Leplerus

Collegii Logici, Disputatio Prima, De Natura, Obiecto, Et Fine Logicae

Rostochii: Kilius, 1640

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729602672>

Druck Freier  Zugang



L. Bodenk. Resp. Minn. Leger
P. U. phil. 1640.



4
SUPREMI NUMINIS AUSPICIO
COLLEGII LOGICI, SS.
DISPUTATIO PRIMA,
DE

NATURA,
OBJECTO, ET FINE
LOGICÆ,

Quam

Amplissimæ Philosophicæ facultatis consensu ajuvente

In Illustri Rhodopolitanâ,

M. LAURENTIUS A BODOCK,

Posnapolitanus

PRÆSES,

Publicæ ventilationi submittit

RESPONDENTE,

HENRICO LEPLERO,


Rhodopolitanô,

In Auditorio majori, ad diem 16. Maji



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. Anno 1640.



MAGNIFICIS AMPLISSIMIS
CONSULTISSIMIS PRUDEN-
TISSIMIS VIRIS

Celeberrimæ Urbis Rostochij
CONSVLIBVS,

UT ET TOTI

Amplissimo Consultissimo Pruden-
tissimo ejusdem Reipublicæ


ORDINI SENATORIO.

Hance primam Disputatiunculam Nomini M. A. C. P. D. V. splen-
didissimo consecrare, mihi perplacuit, tantis jam favoribus à M. d.
C. P. D. V. in hoc Voluntario ob Christum exilio mactato; quos
æbiterna memoria insignendos esse, cum Senecâ lib. i. de beneficijs,
antumo. Fateor quidem M. A. C. P. D. V. Domini, exile esse hoc votorum meorum moni-
mentum sacre Nomini Vestri famigeratissimi Ædi dicatum. At quid quaeso cum
deserta ab opibus, moraq. inprestanda vili licet munere gratitudine, impatiente
mente agere vultis? Accipite obsecro, serenâ fronte Indoles capacissima, per
omnem eruditionem labigata, nec magnitudine donarij, sed donantis affectu, ma-
nificentiam metiri consueti. Seriora ego postmodum M. A. C. P. D. V. sive hic sive
alibi, grati animi mei simulacra, auspice Jehova promittens; nunc tantum, ne
longiori sermone in publicas utilitates peccem; animitus vobis, ut Supremus ille
Regum omnium Praeses ac Custos, M. A. C. P. D. V. tardissimâ ipsiq. nepotibus
ignotâ luce, ex hoc caducò dignitatis gradu, ad quem Vos publica vota virtutesq.
insignes ebeverunt, natali illi Cælestiq. Reipub. redonare dignetur. In quò jam
sanâido concludo votò Rostochij 9. Maij Anno 1640.

Magnificarum Amplissimarum Prudentissimarum
Dominacionum Vestrarum.

Devotissimus

M. Laurentius Bodock.



PRIMA THESIS.



Emerè nostros conatus investi-
gandæ Logices naturæ devoveremus, nisi prius
in sit concedenda? inquireremus. Cum questio
Quid sit præsupponat questionem *An sit*.

2. An vero Logica detur, facile asseque-
mur, si illam primò in naturalem, & Artificia-
lem dispecemus. Per naturalem juxta communem usum lo-
quendi, discursus illos, quos solum lumen naturæ in barbaris
etiam edere consuevit, intelligentes: (quamvis si propriè loquen-
dum esset initium potius Logicæ, quam Logicâ dici deberent.)
Per artificialem verò habitum intellectualem studio, ac labore
comparatum, concipientes.

3. Jam priorem dari nemo cui sanum est sinciput, negare au-
det; Posteriorem etiam admitti, partim Virorum Clarissimorum
experientia, pro hujus nobilissimæ disciplinæ adeptione plurimum
desudantium; partim ratio hæc evincit. Si etenim in artificibus ar-
tes ultrò admittimus, quib9 ad sua opera conficienda utantur. Cur
& intellectui aliquam non largiremur, cujus adminiculo opera
sua, nempe definitiones, Divisiones, Argumenta, ritè construeret?

4. Et præter Experientiam, Rationemq;, existentiam Logicæ,
necessitas ejus ad alias Philosophiæ partes, ac scientias declarat.
Quæ vel dandam Logicam, vel frustraneum esse ad ipsas cæteras
Philosophiæ partes conatum luculentissimè arguit. Quod tamen
vix ille admiserit, qui vel primis labris sacra philosophiæ delibavit.

5. Quandoquidem autem necessitas Logicæ ad alias scientias,
existentiam ejus, Reipubl. literariæ manifestat. Quomodo illa
sit ad ipsas necessaria? nunc dicendum esse judicamus.

6. Quo-

6. Quocirca opinionem Javelli in Compendio suæ Logicæ tractatu primo, Cap. 4. paucorumq; eum sequentium non amplectimur, quæ necessitatem Logicæ ad alias scientias pleno ore diffusetur, illasq; licet non sine errorum admixtione, magnoq; labore acquiri affirmat.

7. Neque sententiam ipsi oppositam admittimus, quæ absolute necessariam esse Logicam ad omnes scientias, nullamq; ullo modo absq; ope Logicæ comparari acriter propugnat.

8. Verum in mediam nos inter has extremas tutius viam cum Soto, cum Cardin. Toletio, Francisc. Carolo de Raconis, & alijs egregiæ notæ Philosophis recipimus. Necessariam nempe esse simpliciter Logicam ad integram scientiam; sive quod idem est in statu perfecto; sive quod clariùs secundum omnes conclusiones ejus, defendentes. Ad unam verò & alteram conclusionem alterius scientiæ, sive quod idem est in statu imperfecto, sive quod idem & lucidius secundum aliquas saltem conclusiones ejus, non necessariam esse absolute, & per naturale lumen acquiri posse tuentes.

Prioris ratio manifesta est satis. Nullus enim omnes conclusiones ex principijs colligere per demonstrationes evidentes potest, nisi prius ordinem, juxta quem una derivatur ab altera usq; ad ultimam, quæ proximè ex principijs colligitur, cognoscat. At ordinem omnium conclusionum inter sese & cum principijs non cognoscat, si artem reducendi, aut resolvendi eas in principia, ignorabit. Ergo nec omnes conclusiones ex principijs per evidentes demonstrationes colligere, sive quod idem est; integram scientiam absq; Logica perfectè acquirere poterit.

Posterioris ratio æquè patet. Velut enim naturale lumen intellectus ad cognoscenda principia sese extendit, sic & ad unam, vel alteram conclusionem principijs propinquiorem, quæ notissima est, per propriam sagacitatem exerere sese valebit. Et cum per unam conclusionem scientiam saltem imperfectam, adipiscimur, quis in hoc sensu Logicam quò ad alias scientias, imperfectè comparandas, non esse absolute necessariam negabit?

9. Necessitate Logicæ comperta naturam jam ejus investigandam censemus, quæ pateferi nobis nulla ratione potest, nisi genus ejus tam remotum, quam proximum exploremus.

10. Ha

10. Habitum Logicæ genus esse remotum, totum quidem collegium, Synodusq; Philosophica libenter concedit. Verum de proximo lites acerrimas ad hoc usq; tempus movet.

11. Ex hac Synodo augustissimâ Rudolphus Agricola, Julius Cæsar Scaliger, Mirandula, Scribonius, & fermè omnes Ramistæ Artem genus Logicæ genuinum, & legitimum clamant. Scotus subtilitatis abyssus, Sarnanus, Fonseca, Toletus, D Abra de Raco- nis & alij vix non infiniti Scientiam dicunt. Joannes Piscatorius, Philoponus, & alij Facultatem, imò Artem, Scientiam, & Faculta- tem simul, proximum genus Logicæ autumant. Græci verò & Arabes Peripatetici, quos Zabarella, Crellius Hospinianus pluri- miq; jam nobilioris opinionis Philosophi amplectuntur, Habi- tum Instrumentalem, Logicæ genus esse proximum acerrimè tuentur.

12. Nos primis non subscribimus videntes definitionem Artis 6. Ethic. c. 4. ab Aristotele traditam, imò & proprietatem ejus ullam Logicæ minimè competere.

13. Nec secundorum sententiæ astipulamur, qui Logicam in- album scientiarum asserere audent. Quas circa sempiterna, ne- cessariq; objecta versari, Res prout extra animam suam esse ob- tinent pendere, & ad nullum alium præter nudam cognitionem collimare scopum novimus. Logicam verò in talibus, quæ à nostrâ potestate, & ab intellectu, in fieri, & conservari dependent, detineri, totamq; ad praxim, nimirum secundarum notionum fa- bricam, & structuram dirigi, experimur.

14. Neq; illorum mens nobis arridet, qui Logicæ Facultatem genus proximum tribuunt. Quis enim inficias ire poterit facul- tatem, nec latè, nec strictè rigideq; sumptam, Logicæ competere? latè enim sumpta facultas, quid aliud est, quam omnis disciplina? sive illa ars, sive scientia. sive activa, sive contemplativa nomine- tur, Aristot. 1. Ethic: testante. Strictè verò accepta, quid aliud est, nisi potentia ad utrumq; oppositorum sese indifferenter habens? Quam præcipuè facultatis acceptionem, quomodo Logicæ, & qui- dem toti convenire ostendes? Si tantarum virium homo es, has in publico discursu, ad id evincendum exere.

15. Multò jam minus cum ijs concordì assensu esse possumus, qui simul & semel facultatem, artem, & scientiam Logicam appellant. Si enim ipsi unumquodq; horum nò competit, quomodo omnia simul convenient? Et dum uni rei unam tantum esse essentiam didicimus, quomodo ipsam plurima genera proxima decebunt? erudiri adhuc expetimus.

16. Quocirca ne hilum quidem discrepare amplius ab illis volumus qui Logicam habitu instrumentali veluti genere proximo insignant. Cum nullum aliud, præter habitum instrumentalem totam naturam Logicæ, adæquatè explicet; Quod tibi partim ex sufficiente partium enumeratione omnium; partim ex instrumenti definitione; partim ex natura rei, & proprietate, in publicâ acie declarabimus, non flocci quoq; penso genuini Sophorum, floris testimonio, qui ἡθροῦνον ὀργάνον τῆς χειρὸς τῆς Φιλοσοφίας Logicam vocavit, nec repudiata reliquorum Peripateticorum auctoritate.

17. Jam ad objectum Logicæ accessum faciamus, de quo àriter Philosophorum digladiatur exercitus, suumq; nimis de unico illo, ad hoc usq; tempus defatigat ingenium.

18. Orationem seu voces objectum Logicæ proprium statuit cum Philopono Ammonius, verum frustra, cum & alijs disciplinis commune esse, Grammaticæ, & Rhetoricæ cernimus. Pluraq; vocibus quæ in Logica tractantur, ut Propositionem, Affirmationem, Negationem, & reliqua minimè convenire conspiciamus.

19. Syllogismum simpliciter Ægidius de Roma & Scotus subtilissimus defendit. Argumentationem Albert. Magn. Demonstrationem Philoponus. Syllogismum probabilem Rudolphus Agricola. Definitionem, Divisionem, & Argumentationem, simul Jandunus cum magna Logicorum parte tuetur. Sed horum dogma Philosophicum unicâ hac ratione labefactari potest. Nempe quia opera, & effectus rei, non sunt subjectum totum, proprium ejusdem. Atqui Syllogismus, Argumentatio, Demonstratio, Definitio, Divisio sunt opera & effectus Logicæ. Ergo. Major patet: Quia effectum artis propriè subjectum dici non potest; cum effectum *actuale quid*, subjectum deniq; *potentiale* denotet.

20. Ens

20. Ens & non Ens Ramus objectum Logicæ evincere cupit, sed temerè. Quia Ens & non Ens simpliciter nominatum totius Philosophiæ potius subjectum, quam solius Logicæ statui debet. In eoq; aperte delinquit Ramus, quod non ens ut non Ens subjectum statuere audeat; cum enim omnis scientia, disciplina, à suo subjecto denominetur, Logica quoq; non Ens juxta Ramici ingenij acumen dici deberet, de quo tamen acumine solus si placet triumphet Ramus.

21. Notiones rerum, ipsarumq; apprehensiones, non autem res ipsas Guilielmus Occam Nominalium inceptor Venerabilis dicitur: Thomistæ verò plures, Mentis nostræ operationes dirigibiles objectum Logicæ censent; verum à vero deflectere mihi utraq; hæc sententia ex illius principijs videtur. Illud enim objectum Logicæ utraq; opinio ultrò affirmat cujus passionēs Logica considerat, atqui Intellectus nostri operationes ut etiam dirigibiles Logica non considerat. Ergò. Plures in discursu percipies rationes, quibus chartas infarcire supervacaneum esse judicamus.

22. Alij modum sciendi, modum cognoscendi alijs, objectum Logicæ propugnare expetunt, quorum, apud Antonium, Bernhardum Mirandulanum numerum, in Logic. videre potes, sed inconvenienter. Cum finis rei non sit subjectum proprium illius rei, circa quod versatur. Atqui modus sciendi, & cognoscendi sunt fines Logicæ. Ergò.

23. Vix non omnes Thomistæ, cum Javello Tract. 1. de præcognoscendis. Alexand. de Ales supra 4. Metaph. Gajetano, Toletio Albert. Magn. 4. Physic. Comment. 2. & alijs, Ens rationis id est ipsas intentiones secundas, ut sunt instrumenta verum à falso discernendi, objectum Logicæ esse contendunt. Cui opinioni licet in Scholis Philosophorum celeberrimæ non dum ex toto subscribimus. Cum formale saltem subjecti, non autem simul etiam materiale explicet, communeq; potius alijs disciplinis ut Grammaticæ, quam Logicæ soli proprium tradat. Et quamvis aliquos illam restrictionem addere sciamus, quod videlicet entia rationis, ut sunt

instru-

instrumenta notificandi, subjectum in Logica statuunt, nihilominus ibi ridiculos in eo esse æstimamus quod ens rationis, quod formale subjectum esse prius voluerunt, adhuc per aliud formale restringant, præter alia minus convenientia quæ publicæ luctæ aservantur.

24. Extrema jam sententia agmen opinionum claudit, quæ subjectum Logicæ & quidem operationis, res omnes, quibus secundæ notiones imponi debent, asserit; Quam calculo etiam nostro cum Jacobo Zabarella de natura Logicæ, cum Fortunato Crellio, & plerisque alijs recentioribus approbamus. Tum quia prædictum objectum optimè cum natura Logicæ convenit: tum quia ejus beneficio ab alijs disciplinis sequestratur: tum quia ejus causâ omnia ea tractantur, quæcunq; intra sua pœria, Logica complectitur; velo silentij pluribus rationibus brevitati studentes involutis.

25. Acerrima inter Philosophos est disceptatio. An Logica sit habitus speculativus, vel practicus. Omnino enim necesse autumant, Logicam cum sit habitus, ad aliquem horum esse deferendam.

26. Doctor Subtilis, Scotus, Albertus Magn. Javel. cum præstantissimis Philosophis speculativam simpliciter Logicam statuunt. Sed hæc mens amplius non placet, tum quia Aristot. 6. Metaph. contex. 2. tres Philosophias, ut vocat ibidem, speculativas recensens Mathematicam, Naturalem, & Theologiam, i. e. Metaphysicam, Logicæ ibidem nullam mentionem facit: tum quia in operatione consistit; & suam considerationem primario propter operationem instituit.

27. Gregorius Ariminensis, Wilchemus Occam, Gabriel Biel, Brucellensis, nec non Fonseca comment. in lib. Met. C. 4. quæst. 2. lect. 3. cum non inferioris notæ Philosophis Practicam esse affirmat. Verum & hæc opinio non placet. Cum ipsi illa desint, quæ necessario definitio praxeos in se comprehendit; ut discursus manifestabit. Etsi etiam concederemus objectum Logicæ esse à nobis operabile, non statim ex eo Logicam esse Practicam colligeretur, cum sic & aliæ omnes artes mechanicæ, Philosophiæ practicæ dicerentur, quæ etiam objectum similiter operabile habent.

26. Docto-

28. Doctores Colonienses in comment. supra Petrum Hisp. & alij speculativam, & practicam simul esse volunt, sed neq; cum his commercium habemus. Dum enim Logica speculativis & practi- cis scientijs inservit, ipsa speculativa, & practica non erit. Et cum recipiens omne denudatum esse debeat à suo recipiendo, regulaq; prior sit, quam regulatum, Logica quoq; cum regula & norma- tam speculativarum quàm practicarum sit, prior illis aliaq; ab iisdem esse tenetur.

29. Averroes itaq; Zimara, Alexand. Aphrodisæus imò omnes Peripatetici, nec speculativam nec practicā, nec seorsim, nec simul dici debere sentiunt, quibus & nos libenter assentimur, partim ob illa quæ in præcedentibus dicta sunt, partim ob illa, quæ in discursu sequenti dicentur.

30. Finis etiam Logicæ non est prætermittendus, ex quò natura omnium disciplinarum maximè verò practicarum & instrumenta- lium pendet, qui à subiecto disciplinas à se invicem distinguit, esseq; cuiuscunq; disciplinæ quodam modo constituit. Exigua vero inter Philosophos de fine constituendo est controversia. Pleriq; enim in eo conveniunt, finem Logicæ esse cognitionem, seu veri à falso discretionem.

31. Quare varias de fine Logicæ opiniones ad actum disputa- torium ablegant, Finem Logicæ esse **Informare rationem instrumentis notificandi, ut suo munere recte fun- gi possit in veritate indaganda**, asseveramus, vixq; ab opi- nione Zabarellæ, finem solum Logicæ, **discernere verum à falso** statuentis, discrepamus: hoc tamen peculiare præ illo habe- re expetentes, quod primò utrumq; finem Logicæ, tam internum, quam externum, rectius implicare, deinde quod magis dilucidè veritatem explicare videamur. Dum enim dicimus finem Logicæ esse **rationem informare**, internum finem ejus indicamus; dum dicimus; **ut ratio in rerum veritate indaganda suo munere recte fungi possit** simul ad externum etiam fi- nem respicimus. Quem verum & genuinum esse Logicæ finem, præter dicta & dicenda, ipsum Logices nomen declarat, quæ

SOLI DEO GLORIA

ἀπὸ τοῦ λόγου id est ratione dicta est, quod videlicet idēo inventa, ut sit disciplina rationis, perficiens notificandi δύναμιν sive actum.

32. Divisionem illam Logicæ in Communem & Propriam, præter alias diversas, quarum numerum recensere nunc non placet, cum Zabar. Averr. Crell. alijsq; pluribus non aspernamur, si Logicam Aristot. respiciamus, in quâ primo loco tractantur communem hujus disciplinæ Syllogisticæ doctrinam complectentia, ut Prædicamenta, Prædicabilia, libri περὶ ἐξηγητικῆς, lib. prior. analyt: Deinde verò illa quæ magis particularia & propria argumentis esse videntur, ut sunt ἀποδεικτικῆς, sive Analyt. Poster. Topica, sive Dialectica, & Sophistica.

33. Ex his jam omnibus hactenus præmissis observemus quomodo Definitio Logicæ perfecta colligi possit. Fortunat. quidem Crell. hanc statuit quod *Logica sit habitus instrumentalis verum à falso discernens*. Plenior adhuc perfectiorq; Zabarel. lib. de nat. Log. c. ult. videtur. *Logica est habitus Intellectualis Instrumentalis, à Philosophis ex Philosophia habitu generis, qui secundas notiones in conceptibus rerum fingit, & fabricat, ut sint Instrumenta, quibus in omni re verum cognoscatur, & à falso discernatur*. Interim nos quoq; ex præmissis hanc possumus colligere. *Logica est disciplina instrumentalis, rationem instrumenti notificandi informans, quorum structuram ex primis docet, ut suo munere in rerum veritate indaganda rectè utatur*. Sed manum de tabulâ.


✠
COROLLARIA

An materia sit pura potentia tam ratione actus essentia, quam existentia, neutrumq; includat, sed à forma emendicet. An verò non sit pura potentia in genere ENTIS, sed habeat actum suum tum essentia tum existentia, non à formâ substantiali sed à seipsa. Prius Neg. Posteriori Affirm. II.

An absurdum sit dicere, res Mathematicas non esse bonas. Negatur.

SOLI DEO GLORIA.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.




20. Ens & non Ens Ramus objectum Logicæ sed temerè. Quia Ens & non Ens simplicitate Philosophiæ potius subjectum, quam solius Logice. In eoq; aperte delinquit Ramus, quod non contentum statuere audeat; cum enim omnis scientiæ subjecto denominetur, Logica quoq; non Erasmij acumen dici deberet, de quo tamen acutè triumphet Ramus.

21. Notiones rerum, ipsarumq; apprehensiones ipsas Guilielmus Occam Nominalium innotuit: Thomistæ verò plures, Mentis nostræ objectum Logicæ censent; verum à vero hæc sententia ex illius principijs videtur. Ille Logicæ utraq; opinio ultrò affirmat, cuius partem dederat, atqui Intellectus nostræ operationes ut Logica non considerat. Ergò. Plures in discutionibus chartas infarcire supervacaneum esse.

22. Alij modum sciendi, modum cognoscendi Logicæ propugnare expetunt, quorum, apud Mirandulanum numerum, in Logica videntur venienter. Cum finis rei non sit subjectum, circa quod versatur. Atqui modus sciendi, fines Logicæ. Ergò.

23. Vix non omnes Thomistæ, cum Javello gnoscentis. Alexand. de Ales supra 4. Metaphysicæ. Albert. Magni. 4. Physicæ. Comment. 2. & alij ipsas intentiones secundas, ut sunt instrumentum discernendi, objectum Logicæ esse contendunt in Scholis Philosophorum celeberrimæ non habemus. Cum formale saltem subjecti, non a materiale explicet, communeq; potius alijs disciplinæ quam Logicæ soli proprium tradat. Et quæ restrictionem addere sciamus, quod videlicet.

24. Dico...



cupit
totius
bet
subje
à suo
inge
acet

ntem
alis di
gibiles
utraq;
stum
confi
les Lo
iones,

ctum
rhar
incon
us rei,
sunt

præco
Toleto
s id est
lfo di
ni licet
ubscri
m. ma
natica,
am re
ut sunt

instru